



Disputatio medica inauguralis de variolis

<https://hdl.handle.net/1874/341867>

DISPUTATIO MEDICA
IN AVGVRALIS,
DE
V A R I O L I S ,

Q V A M
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissime
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

P E T R U S G E L S T H O R P E, A N G L U S.

Ad diem 3. Martii, horâ locoque solitis.



T R A J E C T I A D R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cœ lœc Lxxxvii.

34

*Industriâ, ac Probitate
Conspicuo.*

**D. P E T R O
G E L S T H O R P E,**

Pharmacopæo apud Londi-
nenses Expertissimo, Parenti
suo Charissimo, omni filiali
amore, & obedientiâ in æter-
num persequendo, & Vene-
rando.

*In grati animi, debitæque Observantiæ
Symbolum se, disputationemque
bancce suam humillimè offert*

P E T R U S G E L S T H O R P E,

Auct. & Resp.



PROOEMIUM.

Hujus Illustrissima Academia jam antiquitus obtinuit consuetudo, ut eorum, qui Lauream ambiunt Doctoralem, unusquisque studiorum aliquod specimen in lucem proferat; Huic lubenter ego satisfacturus mori, pra aliis misere Genus humanum infestantibus morbis, Variolas hujus Exercitii Academicī subjectum esse volui, & quantum ingenii mei tenuitas patiatur, elucidatum, & explicatum suscepi.

Deus annuet cœptis.

A 2

DISPU-



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
V A R I O L I S.

T H E S I S I.



T usitatum in scholis methodum , fidissimum in rebus pertractandis ducem , retineamus , ab ipsa morbi appellatione auspicari par duxi; utpote quâ perspectâ facilius in rei ipsius cognitionem pervenire liceat; Authores quidam Variolas à variando , quod cutem maxime variant; Alii à Varis , ob similitudinem cum iis tumoribus denominari autmant;

Potius verò à vocabulo Variolus (qui apud Lexicographos Piscem , qui aliâs Truttæ nomine insignitur , denotat) appellationem suam deducere opinor; quod statim insinuat similitudinem aliquam inter hunc piscem , & nostrum affectum jam tractandum , quam in hoc consistere observamus ; Piscis enim hic dorsum suum , & latera maculis , tuberculisque perplurimis aureis , rubris , & fuscis insignita , & variegata habet , non valde dissimilibus istis pustulis quæ in facie , manibus , totoque corpore hoc morbo correptorum affurgunt , erumpuntque ; unde à quibusdam Varioli appellantur , à Gallis la petite Verole , ab Anglis verò the Flox , or small pox ;

II. Missâ

I I.

Missâ ulteriore nominis exploratione ad morbi nostri realem descriptionem me accingam; Variolæ igitur sunt Pustulæ modo majores, modo minores ab initio sub formâ macularum rubentium, cum pruritu in toto corpore, aut plurimis ejus partibus erumpentes, cum febre acutâ (ut plurimum Epidemicâ) conjunctâ, in augmento sese sensim elevantes, & gradatim grandescentes, & in statu materiam viscidam puri quodammodo similem continentes, interdum & aqueam, tandem in declinatione tenuiore materiæ intus contentæ parte evaporatâ in scabiem incrûstantur, quæ dein cuticulâ exesâ, & abruptâ, à cute decidit.

I I I.

Variolæ à Morbillis distinguuntur, quod hi circa septimum post invasionem diem, per insensibilem transpirationem disparent, istæque maculæ nunquam ad suppurationem pervenient; Eodemque modo à febri lenticulari (quæ à quibusdam Pulicaris dicitur) discriminantur, quod in hac febre moribus, puncturisque pulicum, quandoque vesiculis ab urticæ ictu ortis similes morbillorum instar disparent, & per insensibilem transpirationem discutiuntur, & post pustularum discussionem cutis in squammulas decidit furfuraceas; A Christallis demum distinguitur noster affectus, quod pustulæ in Variolis cum inflammatione & rubore è cute emergunt, sensim & gradatim albescunt. In Christallis vero primâ eruptione pustulæ limpidæ, velutique seroso humore repletæ apparent, quæ intra triduum disrumpuntur, & exiccantur, nullumque affere solent periculum, & plerumque sine febre erumpunt, Variolas vero semper concomitantur febris;

I V.

Duae sunt Variolarum species, Discretæ nempe, & Confluentes, quæ licet essentialiter non differunt, per illustriora tamen quædam symptomata, tam ante pustularum eruptionem, quam durante morbo ægrum discriminantia, haud difficulter ab invicem discriminantur, & cum eandem non omnino admittant curam, jure merito, hic loci nostram merentur elucidationem; Prima

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

species Discretæ nimirum, cum frigore & rigore invadunt, quas mox sequuntur calor intensus, capitis & dorsi vehemens dolor, Nausea, Vomititio, insomniæ turbulenta, aliquando stupor, & somnolentia, in infantibus verò ut plurimùm paroxysmi Epileptici; Per tres dies continuos ægrum hæc symptomata nunc plura, nunc pauciora, discruciant, incipiente verò quarto (non nunquam serius) pustulæ subruberæ tenuissimarum aciculärum puncta æquantes magnitudine, sparsim se produnt faciem imprimis occupantes, vei etiam collum, & pectus, ac dein corpus universum: quæ indies grandescentes, & in majus fastigium elevatæ, cutim, carnesque vicinas rubore afficiunt, atque inflammatione; Octavum circiter à primo insultu diem, intervalla quæ prius subalbebant, præ pustularum, quibus obsidentur numero, rubescere jam incipiunt, atque in molem attolli, non sine partium dictarum dolore tensivo, & lacinante; jam quidem pustulæ, quæ antea ad tactum leves fuere, & ruberæ, asperiores evadunt, (quod quidem primum est incipientis maturationis indicium) & subalbidæ; Utí quæ faciem occuparunt pustulæ, asperiores quotidie ac magis flavæ, pro maturationis ratione, apparent; Ita è contra quæ manus occupant, minus asperæ albæque magis conspiciuntur indies; Undecimo die partium tumor, atque inflammatio satis apertè recedunt, & pustulæ jam maturitatem adeptæ exarescent, & decidunt, atque in hac variolarum specie, die decimo quarto, vel decimo quinto, ut plurimùm funditus pereunt.

V.

Secunda species Confluentes nempè, communia cum prima specie habent symptomata, nisi quod hic atrociora sunt omnia, Febris scil: anxieties circa præcordia, capitis, lumborumque dolor, & vomititio ægrum immanius afficiunt. In hâc specie ut plurimùm tertio pastulæ erumpunt die, ante illum aliquando vix unquam post illum, & quo magis tertium preverterint diem, eò magis confluunt pustulæ; Longèque aliter, quam in Discretis, in hâc specie se res habet (ubi mox ab eruptione pustularum omnia symptomata valde imminuuntur vel penitus eva-

evanescunt) cum tam febris quam alia symptomata ad multos post eruptionem pustularum dies ægrum discruciant; Pustulæ jam eruptæ non in molem aliquam spectabilem, uti in Discretis at-tolluntur, prefertim quæ faciem occupârunt pustulæ: at sibi invicem implicitæ, primò se habent instar vesiculæ rubræ vultum omnem contegentis, quam maturius etiam in tumorem elevant quæ Discretæ; Dein ad instar pelliculæ albæ vultui agglutinatæ, solitam cutis superficiem non multum superantes, apparent, Die Octavo pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur (judice digito) & ad colorem fuscum accedit; Intenduntur indies tum asperitas, tum etiam cutis color, donec tandem pellicula dicta latioribus laminis desquamatur, quod in quibusdam faciei partibus, prout morbus truculentior fuerit, non nisi post vicefimum diem solet contingere. Pellicula hæc seu scabies omnia pervadens, ubi primum deciderit nullâ quidem scabritie vultum afficit; at verò mox illam accipiunt squammulæ furfuraceæ, indolis perquam corrosivæ, quæ non modo patentiores excavant foveas, sed etiam faciem foedè deturpant. Duo alia adsumt symptomata in hæc specie, non minoris momenti quam vel pustulæ ipsæ, vel tumor, salivatio nempe in adultis, & Diarrhæa in infantibus. Salivatio nonnunquam sub primum eruptionis tempus se prodit, nonnunquam non nisi postridie, biduove elapo; Materia primò tenuis excernitur, & ad undecimam sepissime rejicitur diem, quo tempore visidior facta æger-rime excreatur & ita paulatim decrescens evanescit. Diarrhæa non ita mature infantes solet invadere, atque adultos ptyalis-mus; quocunque etiam tempore ingruit, & nisi arte sistatur, singula morbi stadia decurrit.

V. I.

Communi fere omnium medicorum suffragio Variolarum sub-jectum, si pustulas spectemus, est cutis cum Cuticulâ, micro-cosmi littora quæ glandulis infinitis, tubulisque scatent; At sub-jectum cause est sanguinis massa, imo omnes partes solidæ in quibus sepultum jacere potest seminarium hujus affectus, ex quo, nactâ emergendi occasione, propullulant exanthemata hæc sa-

niola

8 DISPUTATIO MEDICA

niosa , pluribus tam funesta ; Jam verò non extra oleas me vagari arbitror , si hic brevem aliquam cutis , & sanguinis uti naturaliter se habeant , descriptionem exponam , ut quæ postea de statu eorum morbo dicenda habeo , evidentiora multò , at clariora fiant.

V I I.

Cutis nihil aliud est , quām contextus quidam retiformis , qui construitur ex innumeris filamentis vasorum sanguineorum , nervorumque , mirà arte invicem complicatis , per quorum spatiā vacua , ordine parallelo , emergunt ductus quidam excretorii Stenoni primum observati , à glandulis miliaribus subjacentibus prodecentes (quorum apicibus convexa quædam pellicula , interiora versùs , cucurbitulæ instar , extenditur , ad edendum forte valvulæ ministerium , ut interdum tensa detineat sudorem , laxata verò sudoribus permittat exitum) & papillæ quædam pyramidales à nervis exortæ , quæ à molli lymphâ ex ductibus illis exudante , perpetim rigantur , & in cuticulam tutelæ ergo superjacentem per tenues fibras protenduntur : Has cum Clariss . & Oculatiss . Malpighio Anatomicorum Coripheo , illarum Inventore , pro immediato tactu organo agnosco ; Glandulas verò illas cum ductibus suis , secretioni , & excretioni halituum , & seri inutilis , quod per arteriolas suas excipiunt , destinatas esse credo ;

V I I I.

Sanguis Vitæ nostræ Thesaurus hic non sicco pede pretereundus est ; Illo etenim legitimè constituto , inter plerosque circumstantium morborum scopulos , & vada sanus enavigat homo ; ex eodem verò à naturali suo deflectente statu , millia morborum , veluti ex equo Trajano , profiliunt agmina ; sanguis itaque non considerandus est ut humor simplex , sed ut valde compositus , & quatenus ex particulis heterogeneis , & maximè diversis constat ; quod & alimentorum , tam esculentorum quam potulentorum (quorum singula indefinitam particularum varietatem inse complectuntur) diversitas probat , nec non ipse sanguis Chymicæ analysi expositus satis clare evincit ; ex innumeris itaque parti-

I N A U G U R A L I S ,

particulis sanguinem componentibus, eas tantum enumerabo, quarum effectus est conspicuus magis, & ad quas omnes reliquæ quantumvis diversæ facilè revocari possunt; Tales itaque sunt Aqueæ, Salinæ, Acidæ, Terreæ, oleosæ, & denique aliquid Gummosum, quæ omnes in esculentis, & potulentis, quibus vescitur humanum genus facile animadvertisuntur; Jam ut sanguis ritè se habeat, requiritur in unâquâque ejus guttâ justa omnium harum particularum proportio; Aqueæ nempe ad sanguinem fluidum conservandum, crassasque particulas diluendas, innumeræ aliter in corpore nostro orirentur Obstructiones, malorum antecessores ingentium; Salinæ verò ad acidas infringendas particulas, Acidæque ad salinas refrenandas; harumque mutuâ proportione, & modicâ quantitate in sanguine existente, crassæ dividuntur, & subtilliores redduntur, atque ex his sibi invicem occurrentibus, præcipua fermentationis tam in Corde, quam in ventriculo oritur causa; Terreæ adsunt particulæ ad subtile figendas; Oleosæ verò ad Acidarum, & Salinarum vim corrosivam temperandam, & impediendam, & denique Gummosæ, ut amplexu suo cæteras particulas conservent in mixturâ debitâ, aliâs enim à se invicem facile secessum facerent, variaque inducerent incommoda, ut sæpiissime accidit dum hæ particulæ deficiunt, vel in minore quantitate quam par est, adsunt? Ut igitur ex justâ omnium harum particularum proportione in unâquâque sanguinis guttâ ejus constat status naturalis, qui sanguinis temperies vocatur legitima; sic quam primum una illarum species hanc excedit proportionem, sanguinis oritur intemperies, ut si particulæ salinæ V. G. abundant, salina ejus intemperies aderit, si acidæ, acida &c. quarum omnium recensionem vetat pagellarum brevitas, explicandique necessitas, quomodo omnes hæ particulæ quantumvis diversæ, amicam tamen ineant copulam? Oculos itaque conjiciamus in mercurium vivum, qui quantumcunque dividatur, in guttulas semper usque & usque minores abit, quæ adhuc omnem argenti vivi compositiōnem in se continent; simile quis de sanguine nostro sibi persuadeat, qui totus guttulis constat, quarum singulæ omnem particula-

ticularum diversitatem in se continent, quam in totâ sanguinis massâ reperiundam esse supra indicavimus. Cum jam particulæ quoad magnitudinem figurarum, pororumque conformatiōnem diversissimè in unâquâque lateant guttulâ; Necesse erit illas inter se disponi ordine, ut æther (vacuum enim dari contradictionem involvit) qui per singulas particulas diversus fluit, possit per guttas quâm minimo cum obstaculo trajicere; adeo ut omnes particulæ quidem aliquo usque à vicinis removeantur (in quo naturalis consistit sanguinis fermentatio) non tamen sic ut extra communem guttularum circumferentiam ejificantur; Debet insuper inter tot diversos æthes (unaquæque enim particula suum habet proprium) sanguinem continuò trajicientes, amica quædam esse convenientia, ut sibi invicem non multum obstant, aut alter alterum multum supereret; Quam tristia etenim exsurgunt mala simulac æther aliquis valdè disconveniens cum æthere consueto, sanguini forinsecus adveniat, ex symptomatum enumeratione post paulò infrâ patebit;

V I.

E diverticulo hoc nunc in viam redeamus: Recensentur inter morbos acutos Variolæ, quia ut plurimum in quatuordecim dies terminantur; Duplex etiam temporum series à non-nullis ingeniose statuitur; Tempus nimirum Ebullitionis, & tempus Eruptionis: Ebullitio ut plurimum quatuor in diebus perficitur (hoc verò pro copiâ materiæ, variolarumque specie variat, ut in Thesi 4. & 5. fuit demonstratum) adeo ut primus dies principium statuitur; 2. Augmentum; 3. Status; 4. Declinatio; Tunc enim febris, aliaque symptomata valdè immiuuntur, vel omnino remittuntur; At principium exitûs pustularum est ipse quartus dies, Augmentum ad septimum protrahitur, status ad undecimum, declinatio verò ad decimum quartum, quo tempore postulæ exiccantur, non rarò tamen ad 20, vel 24 protrahitur diem exiccatio, ut in Confluentibus særissimè accidit.

X. Hujus

Hujus affectus causæ proximo loco nostram merentur indagationem, quas melioris ordinis ergo in tres dispescimus; Proximam, procatareaticas seu Evidentes & Conjunctam: Proxima hujus morbi causa est labes quædam inter prima fætus rudimenta in utero concepta; Hinc hominibus solis & omnibus peculiariis est hic affectus, quia illi inter omnia animalia, soli in utero ipso generantur, solæque mulieres, interfœmellas (simiis exceptis) menstruas patiuntur purgationes; In utero etenim muliebri fermentum quoddam generatur, quod sanguineæ communicatum massæ, ipsi vigorem, & ~~πνευματωσιν~~ conciliat; ac dein certis periodis turgescentiam, sanguinisque excretionem procurat, quæ excretio, quia ut plurimum singulis mensibus contingit, mensum nominatur Profluvium. Jam tempore conceptus cum omnino desistunt menstrua, plurimum hujus fermenti fætui non potest non impendiisque particulis humores, sanguinisque massam imbuere, quæ deinde sanguini immixta per totum fætus nostri corpusculum circulantur. Ex osculis etenim vasorum exilissimis in uteri terminantibus cavitatem, ubi istud fermentum supradictum, præcipua Catameniorum causa sedem suam obtinet) post conceptum emergunt placenta radices uterinae, nec non vasa, quibus sanguis maternus ad fætum deferatur; sanguis jam maternus per hæc vasa in uterum terminantia ad fætum transiens non potest non aliquid hujus fermenti in suam assumere massam, qui perenni suo fluxu, & refluxu minima Embryonis alluens, & pervadens corpusculi (nam datur circulatio sanguinis à matre in fætum, & vice versa à fœtu in matrem) labem suam ipsis affricat, & partem suarum in ipsis deponit fæculentiarum; Non aliter ac in tubulis artificialibus, liquoris, quem vehunt, recrementa quædam lateribus se adponunt; Prout nunc pars quævis corporis tenerrimi adhuc, vasis pluribus, & angustioribus, aut aliâs majori aliquâ, ad impunitates has sanguinis remorandas, pororum dispositione prædita est. Ita & iisdem suscipiendis & hospitandis aptior existit; In

quâ parte hæ particulæ diu sepultæ jacent, & delitescunt, donec maturitatem, & fermenti naturam adeptæ, atque à causâ evidenti commotæ, è latibulis suis erumpunt, massæque communicantur sanguineq; cum quâ fermentescunt, & in sanguinem ebullitionem maximam, ob ætherem inconsuetum introducunt, inducunt, è quâ effervescentia varia hujus morbi symptomata suam deducunt originem.

X I.

Objiciat hic aliquis, si à matre fætus tale derivetur fermentum, cur non ipsam inficiat? Respon. Quod à matre communicatur nondum est fermentum, sed dum longâ morâ & stagnatione alienam à cæteris humoribus acquisivit naturam, dum per multorum mensium digestionem, longè aliam pororum, ac particularum accepit constitutionem; Neque mirandum est variolarum eruptionem in quibusdam aliquando usque ad Virilem, imò senilem ætatem deferri; In aliis verò in tenellâ ætate, imò in Embryone adhuc membranis suis concluso, hujus morbi accidisse eruptionem: Fermentativa enim hæc semina, modo pauca & mitiora sunt, ut non facilè è latibulis suis emergant; modo verò fortiora, & plura, adeò ut levi occasione quâvis in hunc morbum maturentur: Intemperies etiam sanguinis potest esse Variolarum eruptionis causa, eò quod facile fermentescat, & exinde fermenta è latebris suis educat: sanguis autem legitimè constitutus i. e. optimè temperatus non omnino ætheri peregrino hujus fermenti auscultant. Symbolum suum adjungit imprægnatio paulò antè profluvii menstrualis expectationem, nec non in ipso menstruali tempore conceptus: Tunc temporis etenim materia ista (præcipua istius purgationis causa) maturatur, faciliusque labem suam, & impuritates impendit, communicatque Embryonulo; quæ ob copiam citius Variolacei fermenti naturam acquirunt, unde levissimâ quâvis occasione energiam suam exercit, morbumque hunc producunt in Embryone, adhuc uteri claustris circumcinto: Quod non paucæ comprobant Authorum historiæ: si verò immediatè post istam purgationem.

impre-

impregnatio contingit (reliuiss purgationis non adhuc fermenti naturam adeptis) id causa esse potest, quod quidam homines hoc morbo non corripiuntur, usque dum ad virilem, imò decrepitam ferè pervenerint ætatem; quia per pauca tantum fermenti particulae tali fatui communicantur, unde longiorem requirunt digestionem, antequam fermenti acquirere queant naturam.

X I I.

Superfluum hic foret speculari quam accurate magnitudinem, & figuram, qualesque poros habere debeant hæ particulae, ut sanguinem dictâ ratione fermentescere & agitare queant, quod scrutari Philosophi esset potius, quam Medici, quâtenus Mediæ; & quidem sufficit uno verbo hic indicâsse particulas hisce necessario volatiles esse debere, sed cujuscunque esse posse figuræ, modò extremitatem unam vel utramque habeant acutam, & poros subtilissimos, aptosque ad trajiciendum ætherem sanguini inimicum.

X I I I.

Perspectâ jam causa proximâ, ad Procatarcticas, seu evidentes pervenimus causas, fermentativa hæc semina commoventes, & in actum deducentes: Primâ fronte appetet. *Aeris peculiaris dispositio*; Hinc sepissimè evadit Epidemicus, ac per totas urbes deservit hic affectus: In vere etiam & autumno crebrius invadit, quippe aëri tunc temporis innatant corpuscula venenosæ, quæ inspirata sanguinis effervescentiam fuscitant, ac deinceps fermenta latentia in actum ducunt; Hinc qui antea erat sanitatis conservator, nunc ejus destructor, quos ut mater benigna antea alebat, jam pessimè Novercali tractat more; Aer etenim particulis hisce heterogeneis impregnatus, alternatim in pectus impulsus & expulsus, bronchiaque pulmonum ab utroque latere vasis, hinc Venosis, inde arteriosis, stypata subiens, spicula sua contagiosa in eorum poros evibrat, quæ latici, intus contento

14 DISPUTATIO MEDICA

commixta, sanguinis fermentationes, (ob particulas valde heterogeneas in ejus massam introductas) augent, unde erumpendi fermento è latibulis suis præbent occasionem; Neque interim otiosus cessat similis Aer in Oesophagum populsus, aut cum salivâ in Ventriculum deglutitus; pars enim ejus per interstitia membranarum penetrans, humoribus intus decurrentibus se associat; Pars altera fermento ventriculi, vel alimentis inibi contentis se conjungit, & iiscum per Vasa lactea ad sanguinem properat, ejusque promovet particularum dissidium; Hinc primò febris, dein capitis, dorsi, lumborumque dolor, nausea, & vomititio originem deducunt. Nec tantum hic affectus ob has causas crebrior, & Epidemicus evadit, sed etiam multiplicem acquirit naturam, ut Variolæ quandoque sint lethales, & ve-
lut pestiferæ, quandoque mitius & benignius se habeant, prout nimirū plus aut minus malignitatis ab aëre contractæ referunt; Hinc etiam pustulæ interdum nigræ & lividæ apparent, & multum de pestilentia habent naturâ.

XIV.

Contagium proximo loco sese offert, à quo hunc morbum produci quotidiana comprobat experientia; E corporibus etenim infectis, continuò decadunt effluvia, quæ ab aliis corporibus susceppta, statim instar veneni cum sanguine fermentescunt, sicque semina ejusdem affectus latentia, ipsisque homogenea suscitant, commovent, & tandem illis associata, hunc affectum producunt: Ut verò aliquid absolutè contagiosum possit dici hæc duo requiruntur; primò ut constet particulis volatilibus, quæ per aërem volantes cum aliis possint communicari: Secundò ut particulæ istæ sint valde solidæ, sic ut non facilè diffingantur, vel secundum poros mutantur, sed alia quævis vicina potius quoad poros conformia redant, faciantque per eos similem effluere materiam ætheream, unde fomes varialaceus ex infectis locis aliunde delatus incrementum sumit: Hinc qui ædes intra easdem, aut ægrotantium vicinia degunt facile labem suscipiunt; necnon & vestium interventu sovetur, longius dissipatur, & ad remota transfertur loca.

XV. Quin

X V.

Quin etiam licet defuerit contagium, nullaque maligna aëris constitutio præcesserit, tamen ob sanguinem, & humores immodice perturbatos, Variolæ interdum oriuntur; nam à crapulâ, aut exercitio immodico quosdam in hunc incidisse morbum ex authorum historiis appareat, cum circum circâ nemo in tota regione ægrotaret: Neque infrequenter à terrore tantum, ut & aliis animi passionibus perplurimos in hunc morbum incidisse quotidiana comprobat experientia; Promovetur enim vehementer illâ animi commotione influxus spirituum per omnes corporis fibras, qui humores in tubulis partium circulantes rapidius movendo, fermentum simul vi quasi eliciunt, & exprimunt, atque unâ secum ad sanguinem vehunt.

X V I.

Hactenùs de causâ proximâ, & procatarcticis, quoad conjunctam verò, scilicet quæ sit hujus affectus ratio formalis; res paulò intricior videtur: Comparari solet nec immerito effervescentiæ musti, & cerevisiæ, cum in dolio isti depurantur liquores: Istis etenim liquoribus fermento injecto, particulæ ejus cum sint heterogeneæ, & miræ activitatis quaquaversum sese explicantes, illicò per totam se diffundunt massam, crassiores liquoris particulas, & impuriores variè exagitant, à se invicem deducunt, & quasdam veluti in fugam actas partim ad fundum præcipitant, alias verò ipsis adhærentes veluti captivas ad summitatem deducunt, & efflorescentiâ factâ, ad extremam liquoris superficiem propellunt; Non absimili modo hujus affectus semina hæterogenea massæ sanguineæ, ab aliquâ prædictarum causarum, introducta, statim alia corpuscula sibi ipsis similia exuscitant, quibus associata totam per vadunt sanguinis molem, eamque insigniter turgescere, & ebullire, & post aliqualem effervescentiam in partes secedere efficiunt, dein veluti efflorescentiâ factâ (quæ per tres dies, aliquando plures continuatur) crassiores particulæ, à cæteris se junctæ unâ cum implexis veneni seminibus, non amicam, & debitam sanguinis copulam conservantes, à reliquo sanguine veluti captivæ,

DISPUTATIO MEDICA

captivæ ejiciuntur, & per extremitates vasorum in glandulas subcutaneas, ejusque ductus excretorios propelluntur. Ubi ob denegatum iis exitum per valvulas ductuum apicibus excretiorum extensas, ac insertas (Thesi septimâ demonstratas) propter crassitatem particularum ac impetuosum sanguinis motum, necessariò cutem cum cuticulâ (veluti superficiem vasis sanguinem continentis) in molem attollunt & exinde pustularum formam efficiunt.

X V I I.

Explicatis jam pro virili hujus affectûs causis tam proxima, quam Evidentibus & Conjunctâ ad Symptomatum tandem elucidationem pervenimus, quæ ut dira sunt, ita explicatu difficultima; Concipiendum est igitur massam sanguineam infinitis scatere heterogeneis particulis (uti fusius in Thesi 8.) imo & Cerevisiæ, quoad particularum diversitatem quodammodo analogam, quæ, ope fermentationis continuatæ, accuratè inter se miscentur; verum si materia quædam introducatur in sanguinem, quæ cum nostri sanguinis particulis, quoad figuram, pororumque dispositionem, non convenit, necessariò massa sanguinis turbatur, in quo particularum dissidio majori, vel minori ipsa essentia, & diversitas Febrium consistit; Fermentum jam Variolosum, è latibulis suis à causâ quâdam evidenti commotum, & sanguinis circulatione ad cor delatum cùm minus in principio rascere possit (sicuti ligna viridia difficilius flammarum concipiunt) ipsum sanguinem in rarefactione impedit, (ejusmassæ adhuc non intimè permixtum,) unde cordis ventriculi minus distenduntur, à quâ minori ventriculorum distensione, sanguis minori impetu in arterias propellitur, hinc Pulsus in principio Debilior, digitorum pulpis fere offert; Cumque ex minore sanguini motu, & rarefactionem, pauciores secernantur spiritus, motum & calorem in partibus promoventes, hinc molesta illa frigoris sensatio, quod ut plurimum Horror comitatur, à particulis acribus pancreaticum carnosum vellicantibus; Postquam verò materia hæcce, aliquoties Cordis thalamos pertransit, ad summam rarefactionem perduci-

perducitur, sicuti lignum viride, jam inflammâ constitutum, diutius ignem retinet, fortiusque ardet; Hinc motu sanguinis aducto, pulsus ordinariò fortior, & vehementior deprehenditur, atque ex hâc sanguinis fermentatione majori, motuque ardor febrilis æstusque continuus oriuntur; Ex hâc etiam vehementi sanguinis effervescentiâ, & perturbatione, particularum ejus ordo & copula destruitur, mixturaque ejus accurata dissolvitur; Unde crassæ quædam particulæ, à cæterarum consortio vagantes, in tubulis, & inter stamina partium fibrosa (dum per minutissima vasa illuc deferuntur) varias pariunt obstructiones, præsertim in locis longe à corde dissitis; à quibus obstructionibus circulatio humorum, & sanguinis per eas partes impeditur, quæ doloris producit sensum; Si jam in capite, dorso, lumbisve hæ obstructions contingent, eorum dolorem nemo mirabitur frequentiam; Dum sanguinis amica copula dissolvitur, spirituosiores, & magis subtile ejus particulæ viscosarum nexibus jam extricatæ, quasi agmine facto, semel & simul avolant hinc subitanea virium dejectio, & ovo prognatus eodem sopor, & in somnum propensi, dum cerebrum & nervosum genus præ defecâ spirituum, tanquam vela vento destituta, subsidunt, & in se collabuntur; Pulsus varius & inæqualis oritur, quod omnes guttae sanguinis non eandem compositionem, & mixtroram, sed hæc habet plures salinas, illa acidas, tertia terrestres, Oleofas, aut aqueas, vel prout ordo particularum in hâc gutta est magis turbatus, in aliâ minùs: Hinc cum variè in corde effervescunt, omnes dictæ inæqualitatis differentiæ sponte fluunt. Dolor capitis atrox à particulis pungentibus fibrillas circumvicinas quaquaversum vellicantibus, oritur, unde tristis Idea, quam dolorem vocamus, in mente excitatur; A credinem adesse in hoc morbo nemo inficias ibit, quam pruritus in pustularum eruzione, foveæque post curam reliæ, doloresque toto morbi decursu pungentes & laciniantes satis clarè evincunt: Hæ jam acres particulæ spiritibus animalibus admixtæ, & iiscum ad partes omnes delatæ, dum ubique rodunt, & pungunt, mentem ad attentionem excitant, Vigiliisque protrahunt: Non dissimi-

les particulæ originem nervorum vellicantes, & compungentes paroxismos Epilepticos non raro producunt; Tales acuminatæ particulæ ad ventriculum delatae, ejusque fibrillas nerveas & maximè sensiles vellicando & irritando nauseam procreant: Nec absimili vellicatione, & rosione, sed paulò graviore Vomitus ipse producitur; Hinc enim spiritus in tubulos ventriculi omnigenos plus debitò influentes, eum undique angustant, & contenta sursum expellunt. Sitis duplex est causa, vel enim vera est, & à nimia humidi discussione oritur, vel est spuria quæ à ductuum Salivarium, multifariam per os dispersorum, obstructione dependet, sic ut limpha, quamvis in sanguine abundans, ad os tamen non deriveatur, undè eadem sitis Idea in mente exurgit, ac si humidum revera in corpore deficeret. A Salivæ defectu Linguæ ariditas producitur, quæ si major sit membrana linguam succingens præ exiccatione rimas quoque agit, præsertim si vis corrosiva adsit, quæ fibras proscindendo faciat continui solutionem, hinc etiam color ejus aliquando ad atrum vergit; hæc duo jam dicta symptomata primæ speciei, nempe distinctis convenient: Particulæ etiam supradictæ acres, ex bronchiis pulmonum exspiratæ, glandularum ductus salivalium excretorios in ore terminantes reserant, & aperiunt, unde necessariò lympha per arterias illuc delata, & à sanguine glandularum ope excreta continuò effluit, & excreatur, quam salivationem denominant, in Confluentibus variolis semper contingentem.

X V I I .

Enumeratis Phænomenis, proximum est ut ad Prognosin nos accingamus. Quæ si in omnibus morbis acutis Teste Hipp. Sect. 2. Aph. xix. sit dubia, & anceps, certe hic erit incerta; Latet enim anguis in herbâ, & qui morbus fucatâ sui lenitate hâc horâ satis ad blanditur, post paulò ægrum inopinanter sœpe è medio tollit; Cum alius, quem jam altero pede Cymbam Charontis præmere certò crederes, paucas post horas non raro ad se reddit; Hanc inter Scyllam & Charibdim constitutus quod tutius enaviget Medicus, cautus & parcus in prædicendo sit opor-

oportet, nè præproperi mox pertæsus judicii, cum artis pariter, & Artificis dedecore cogatur postmodum palinodiam canere; Nihil enim consiliis medicis tam inimicum, quam celeritas; Hoc tamen in genere dici potest esse morbum uti acutum ita periculosum, præsertim in malignâ aëris constitutio-
ne; quia mali somitem sæpe auget magis, quam ut inde arte, & naturâ possit expelli; Boni tamen Augurii sunt Variolæ quæ citò exeunt & brevi ad maturitatem producuntur; Indicant enim fermentationis vigorem, & materiæ clementiam, obedientiamque, & naturæ robur: salutares etiam sunt, ubi febris est levis, & post exitum Variolarum cessat, aut imminuitur, vox est libera, respiratio facilis: sufficientem enim expulsionem materiæ morbificæ, & interna libera esse ostendunt; Quoad pu-
stulas, istæ sunt bonæ, quæ sunt rubræ, dein albæ, molles, di-
stinctæ, paucæ, rotundæ, solam cutim, non autem internas
partes affientes; In Confluentibus salivatio bene procedens, &
toto morbi decursu continuans rem in tuto esse indicat;

E contrario mali ominis, & periculosæ sunt pustulæ tar-
dæ, & vix prodeuntes & difficulter suppurantes, non fastigia-
tæ, metum enim incutiant, ne materia peccans intus retenta,
sanguinem ulterius, ulteriusque turbet; Atræ & lividæ pustu-
læ eventum minus fælicem pollicentur, hæ quippe majorum Cor-
rosionis gradum arguunt; Depressæ variolæ indicant aut mate-
riæ paupertatem, aut fermentationum imbecillitatem, aut ma-
teriæ visiscitatem, quæ non patitur se satis fortiter expelli:
Omnium pessimæ quæ ubi egressæ sunt confessim evanescunt,
& tumor partium remittitur, quia humores iterum in sanguine-
nem redeunt, & novas faciunt turbationes, & eorum, quibus
hæc retrocessio accidit, vix ullus evadit, sed ut plurimum intra
quatuordecim horas pereunt, nî statim diaphoresi liberius exci-
tata, denuo foras eliminantur. Mali quoque ominis est Deli-
rium, quippe cum sit morbus per se acutus, si ancipiti huic
morbo superaccedit, non potest nondetestabilem præsigre
eventum; Nec melius spondent sopor, animi deliquium, extre-
morum frigus; tantam quippe notant spirituum inopiam, ut

20 D I S P U T A T I O M E D I C A

nec Cerebrum, nec nervos satis possint extendere, nec consuetum fibrillarum motum in partibus extremis conservare; Maximum vitę periculum inducunt Variolæ, quando statim ab initio, febris ingens, vomitus immanis, Anxieties circa præcordia, aut phrenitis ingruunt, neque variolis plene eruptis desistunt; Hæc enim nimiam in sanguine, & humoribus perturbationem significant, etiam materiae morbificæ confusionem, & contumaciam, quæ nec subigi, nec à crux massâ facile secerni, aut æquabiliter extrudi possit; si adsit anxietas, & magna inquietudo cum inordinatâ humorum effervescentiâ, & ebullitione, etiam sitis ingens & difficultas spirandi, nec non alvi fluxus aut Dysenteria, indicant Diaphoresin præpeditam, & humores malignos versus interiora restagnare, ex quo materiae retrocessu morbificæ cito mors ut plurimum succedit.

X I X.

Hisce Prælibatis ad ægri lectum progredimur, & juxta indicationes Therapeiam instituimus: Quamdiu igitur sanguis materię fermentativę motu turbetur, & ebulliat, ac pustulæ nondum apparet, quæ periodus ut plurimum quatuor primis absolvitur diebus; Prima intentio est, ut omnia impedimenta naturae molesta amoveantur, & materiae Variolaceæ in sanguine separatio procuretur; Cum igitur natura, vel à sanguinis abundantia, vel humorum in ventriculo, & intestinis congerie, in suo opere impediatur, quamprimum Capitis & dorsi dolor cum vomitu (Variolarum indiciis) observantur, Danda est opera, ut evacuatio secundum naturę motum & impulsum instituatur: Ut Plethora, si adsit, ægrique patientur vires, in primo principio, ante ullam pustularum eruptionem, urgente maximâ sanguinis ebullitione, ne gravia exinde superveniant symptoma, V. S. commodè imminui possit: Hinc Natura non solùm à sanguinis liberetur copiâ, sed etiam impuritatum à crux gremio separatio, & earum in cutem expulsio melius promovetur, spatio sanguini ad fermentescendum capaciori concessa; Cautè vero hic procedendum est, & non nisi maximâ urgente occasione

catione Administranda est V.S. ne in Dede coris scopulos naufragium patitur Medicus.

X X.

Si immanes ægrum discruciant Vomitus, Emeticum mite ex Vin. Bened. Rulandi, sale Vitriol. vel ex solo liquore posset: cum sol. Cardui ben. incoct. ægro propinare convenit. Hinc Ventriculus non solum ab humorum se gravantium copiâ, & amurcâ omnia ingesta in suam naturam convertente, liberatur; sed hâc violentâ convulsione, & impetuosis conatibus separatio materiæ morbosæ, è sanguinis gremio, melius perficitur, & expulso in cutem facilior promovetur (Unde ex Emetico dato secundo apparent die pustulæ, quæ ut plurimùm ad quartum si ne Vomitū procastinari solent) medicamentaque plenis viribus ad sanguinem deferuntur.

X X I.

Purgationes sunt suspectæ, attamen si corpus caco chymicum est, primæque viæ fœrdibus obfidentur, ne exinde supervenientia symptomata naturæ impedian motum, blandissimum primas vias abstergens, caute tamen, & saltem primo in principio propinari potest, ne forte periclitantur ægri ab alvi fluxu qui in Variolis plerumque imminet. A strictior verò si sit alvus, ante quartum diem, pustularumque apparentiam, sollicitari potest Clystere Emollienti, aut suppositorio ex solo melle absque fale confecto; Enema confici potest ex juscuso carnium, vel late solo cum sacch. rubr. vel ex decoct. hordej, passul. & liquor. cum sacch. commun. & vitell. ovor. additis.

X X I I.

Durante hoc sanguinis fervore, ut & toto reliquo morbi decursu, Victus instituendus est tenuis, ut in omnibus febribus, & morbis acutis instituitur; viz. Ex hordeatis, avenaceis, li-

22 D I S P U T A T I O M E D I C A

quore posset: cum fol. salv. vel Rad. Petasitid. incoct. &c. Vitetur omnis caro, quia ob nimiam pabuli copiam, sanguis plus debitò offervescit; Cardiaca & Calida nimis, cautè adhibenda, his etenim sanguis & humores majorem in Confusionem aguntur.

X X I I I.

Aér in toto morbi cursu sit temperatus, neque ad caliditatem nimiam, aut frigiditatem vergens; sed debitiss, solitisque stragulis æger est custodiendus: Prout etenim aëre frigido transpiratio impeditur, poros cutis occludendo, unde exanthemata expelli nequeant; Ita nimis calido ægri ob spirituum dispensandum suffocantur. Ut igitur ritè hoc fiat regimen, tempore ebullitionis observetur æstus in ægro febrilis, quæ si excedat, nullo modo per integumenta, aliisve modis est intendendus; E contra si debilior, & saltem videatur minor, quam qui sufficiat secernendæ, & expellendæ Variolarum materiæ, integumentis, aliisque modis est augendus; Quod si medius fuerit febrilis æstus ita ut nec excedat, nec deficiat, sed sufficiens pro Variolarum excretione videatur: In isto mediocri calore sustentandi sunt ægri.

X X I V.

Cum Pustulæ erumpere (quod 4. sèpissimè accidit die) incipiunt, Lenis & tamica diaphoresis usque in sanguine continuanda est, sufficiens vi z. ad pustulas è suo gremio, & amplexu emittendas: Quod vulgariter perficitur Decoct. sicuum, flor. Calend. & rasur. Corn. Cerv. in liquor. Posset: Vel tale potest præscribi Apozema in hunc finem accommodatum.

R. Rad. Scorzonera. bisp.

Corn. Cerv. Calc. aa. 3j.

Macis 3j. Cochinel. 3ij.

Crustæ panis 3j. coq. in aq.

Hord. q. s. ad 3ij. edulcorari potest sacch. albiss. si verd acredo nimia sanguini adsit, ardoremque urinæ persentiat æger, syr. de

de symphito in Colâ. dissolv. potest; si Tussis verò adsit, syr. pector. ut Jujub. Capillor. Ven. de flor. Tussilag. de Prassio addi possunt apozemati, de quo bibat æger ad libitum: Cardiaca temperata, pro re natâ administrari possunt, ut Lap. de Goâ, Pulv. Gascon. Corall. rubr. pp. margar. pp. Bezoar. orient. alia ve, quia diutius in sanguine protrahunt moram, & amicam sanguini naturam in se continent: Fortiora verò uti omnia salia Volat. spiritusque volat. cautè adhibenda, ne nimium depaupereatur sanguis ob spirituum post illorum adhibitionem dispendium, unde in pejori statu relinquitur æger. Pro tuendis Gulæ, & Gutturis partibus exterius vulgariter apponitur scutum croco inter suum, & lacte muliebri intinctum; Gargarismata etiam modicè adstringentes tepide adhibentur; Oculi verò Epithematis ex aq. rofar rubr. Euphras. vel lacte muliebri cum croco illit: ab incursu muniuntur Variolarum.

XXV.

In Confluentibus, Opiata perquam proficia sunt, debitissimis cautelis adhibita, cùm pro mitigandis hic urgentioribus symptomatis, & præproperâ excretione cutaneâ impediendâ, pro sistendo alvi fluxu (huic speciei peculiari) & præcavendis nervosi generis symptomatis multùm conferant: Salivatio huic speciei peculiaris, (si naturâ non ritè procederet) arte promovenda est, viz: Gargarism: Decoct. pector: quo tepidè fiant oris collutiones; unde materia ista viscosa ductus obstruens salivales educitur, & acredo, si adsit temperatur: Si Epidemicè grassantur Variolæ, Alexipharmacæ alteris remediis queant commisceri, ut Aq. Scord. Comp. Epidem. Theriac. Extr. croci: Bezoard. Theriac. Andr. mithrid. Terra Lemn. Sigill. &c. Quæ à prudenti medico, semper ad prævalentia symptomata respectu habito, administrari possunt.

XXVI.

Declinante morbo, pustulisque emarcescere, & incrustari incipientibus, non multum medico curæ incumbit, cum ut plurimum

24. DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

mum res extra periculi oleam posita sit: Æger Viðtu tenui adhuc uti debet, donec bis vel ter purgatus fuisset: Si Pustulæ tardius deciderint, unguentis & Linimentis propriis, ut Ol. amigd. dulc. & spermat. Cæti, vel ung. è flor. Aurant. Ol. nuc. mosch. per express. Ol. Palmet. & similibus, illinuntur pustulæ, & scabies: à quibus, ne altiores relinquuntur foveæ præcavetur: Postquam æger (Variolarum exuvii penitus depositis) è lecto surgere, viresque recolligere incipit, purgatione bis aut ter iteratâ, sordes & materia excrementitia in Visceribus & sanguine relicta auferri debent; dein ad lautiorem Viðtum redeat.

X X V I I.

Colophonem tandem operi addit symptomatum mitigatio, sed quandoquidem tanta eorum multitudo paucis pagellis nequeat comprehendendi, & passim apud Practicos illorum prostant curationes, quas permittente otio perlegere potestis; hic brevitatem studens, Cramben bis repetere superfluum fore judico; Ne verò Disputationis limites vulgares transgrediar, tantum hanc cautionem in symptomatis prospiciendis subnectam, ne scilicet, dum illis consulimus, medicamentorum copiâ, & molestiâ naturæ interturbetur opus: Quare ut nihil temerè, & ex abrupto movendum sit, maxima requiritur medici, & ministrantium sedulitas, & circum spectio, quando hic morbus est in statu, scilicet, ne cum Variolæ plenè eruptæ & ad summam molem evectæ sint transpiratio impe diatur; & materiâ morbosâ versus interiora remigrante, Febris, non sine magno æ gri periculo, redintegretur.

